Theologia

Grabiecki franc: Theoria Sanctissimae Trinitatis.

THEORIA

SANCTISSIMAE

TRINITATIS

DISPVTATIONI PVBLICÆ

EXPOSITA IN CONVENTV LVBLINENSI ORD. PRÆD. A. D. 1634.

Mense die

Respondente ad obiecta F. FRANCISCO GRABIECKI S. TH. Stud. Præsidente R. P. F. ANTONIO ZALESKI S. TH. Lectore, ac in eodem Conuentu primario Professore.

LVBLINI,

Ex Officina Typographica, PAVLI CONRADI,

Anno Domini, 1634.



ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO,

D. IOANNI PRÆCSLAO MICHOWSKI DE MICHOW.

DOMINO & PATRONO COLENDISSIMO.

NON *exiguum profectò discrimen, inter vitam actiuam, & contemplatiuam, Alexander ille magnus, tulisse fertur Illustris ac Magnifice Domine. dum enim aliquando in Diogenem Corinthi incidisset, vitamq́; eius totam apprimè traditam animaduertisset ; ad sibi amicos, sermonem exorsus est. Ni Alexander inquit essem, Diogenes fortassis essem (Imperij ni fallor molestias incessens) quasi voluisset dicere. Ni Alexander essem, ni bellorum moles, vndiq́; mihi obstreperent, ni me facultas premeret, Philosophus certè essem. Difficile enim in vita actiua, saluatur Philosophia : & nusquam benè consultum est, Musis aut contemplationi, inter arma, seditiones, quadrigas, delitias, diademata. Hanc fortè differentiam mihi Ill. M. D. (dum hanc Theoriam, siuè contemplationem profundissimam SS. Triadis sub tuo Illustri, ac inclyto nomine publico certamini exponere contendo) obijciet profundissimam inquam, cum eam, non à Diogene, aut ab aliquo præstantissimorum Philosophorum coryphæo, excogitatam : sed ab ipsa æterna sapientia, traditam habeamus. Vereor ergo ne Vestra Ill. M. D. Alexandrum potiùs quam Diogenem eligat : & mihi meæq́; Theoriæ, repulsam aliquam præbeat. Nec immeritò vereor. Quàm enim mordacibus curis, quàm calamitosis negotiorum labyrinthis, inuolutum sit, hoc amplissimum Regnum, quàm crebris occupationibus, consultationibus, odiis, suspicionibus, insidiis ; vbi non plebs sola, sed & principes, ac nobilitas, negotiorum tragædiis dispunguntur ; & æquè cum Alexandro, tumultibus, periculis obsepiuntur. Theoria ergo mea, siuè contemplatio, de hoc arcano mysterio, à sæculis abscondito, apud Ill. M Vestram, locum haud quaquam habebit. Sed vox illa gentilitia longè abeat : Tu Ill. ac M. D. Alexandri, & Diogenis quoq́; partes tibi semper vendica : imò vt liberius loquar ; Theramenis cothurno indutus, inter ipsa quoq́; mœnia Philosopheris. Hoc enim tuum Stemma, tuæq́; inclytæ nobilitatis quod Familia tua Ill. pro argumento gestat sit huius rei stimulo. Vrsum enim, quem video, quanquam animal ferox sit, vindicem tamen*

aliquando diuinæ iustitiæ eloquia Sacra fuisse probant. Eliseo enim Prophetæ, in Bethel ascendenti, illudentibus pueris, vrsi de saltu egressi, ad quadraginta & duos lacerarunt. Quid hic, nisi vitam hanc actiuam, efformare videntur. Ex altera parte, video Virginem vrso insidentem, diademate aureo adornatam. Quid hæc, nisi vitam Theoricam effingere conatur! Virginem enim, non armis studere, sed contemplationibus vacare satius præstat. Vnde & Mathematici, eidem sedem, quasi sibi propriam in cælesti Zodiaco collocare decreuerunt. Hæc ergo Virgo insidens Vrso vtramq; vitam Christiano homini conuenientem insinuat. Quod & tuorum Maiorum gesta præclarissima virtutesq; ac publica offitia, optimè probant. Nam præter Illustrem M. D. Albertum Michowski Venatorem Palatinatus Lublinensis omnĕ genere virtutis exornatum. Adest Ill. M. D. Precslaus singulari liberalitate, grauitate, in rebus gerendis prudentia, pietate, ergà Rempubl. &c. &c. præditus. Adest Ill. Mag. D. Ioannes Comes Varsius Castellanus Lublinensis Dux Exercituum, contra Lithuanos & Iacuingos; sub Boleslao Duce Cracouiensi, &c. Qui dum contra hostes, copias, cum maxima laude duxisset: ibiq; mira facilitate fortitudine, scientia rei militaris, vigilantia, experientia, & duro labore, aliisq; amplissimis virtutibus, & rebus gestis cumulatissimus claruisset, & victoriam vsq; ad necem super hostem obtinuisset: à Principe suo, tum titulis auctus, tum & bonis terrestribus dotatus est. Quæ bona, & nunc vsu hereditario à te Ill. Mag. D. possidentur. Adest & Ill. Mag. D. Comes Varsius de Michow Castell. Cracouien. Cui exigentibus meritis, ac laudabilibus, continuisq; obsequiis, non defesso: à Serenissimo Lesco omnes donationes & iura confirmantur. Adest & Ill. Mag. D. Comes Varsius de Michow: Castellanus Zawichostensis sub anno 1440. Vir quemadmodum nobilitate ita virtutibus apud omnes clarus. Adsunt & alij quam plurimi, quos hic recensere non est locus; qui omnes contra quosuis ferocissimos hostes Ecclesiæ sanctæ & huius Regni amplissimi tum armis, tum impensis, tum propriis pectoribus tanquam vindices iustitiæ diuinæ se se opponere consueuerant. Sed non & obliti Religionis ac cultus diuini: extant enim quam plurima munimenta, quæ ob pietatem sibi innatam erga Deum & Ecclesiam post se reliquerunt. Hæc ergò omnia tui inclyti stemmatis officia optimè probant. Tu ergò Ill. tuorum Maiorum nepos illorum vestigiis insistas: & hanc Theoriam SS. Triadis, inter has vexationes, inter arma, insidias, benigno ac fauorabili vultu à me excipias. Vale, & viue fælix Sospes præsens futurumq; Regni ornamentum. Dat. Lublini, Anno Domini, 1634. Die 15. Maij.

Frater FRANCISCVS GRABIECKI S. TH. Student

Ord. Prædicat. F. P. P.

DE PROCESSIONIBVS DIVINARVM PERSONARVM.

1. MYsterium SS^mæ Trinitatis, adeò est absconditum à lumine rationis naturalis: vt vllus intellectus creatus etiam Angelicus, illius cognitionem viribus propriis nequaquam assequi possit.

2. Vnde aliqui sequentes merita naturæ intellectus; dũ de diuinis processionibus loquerētur, sepulti sunt in erroribus multis: dũ quidã eas metaphoricas affirmabant. Aliqui proprias quidem & non metaphoricas; eas tamen per actiones voluerũt transeuntes fieri: vnus quidẽ, secundùm quod effectus procedit à causa, alter autem vt causa procedit in effectũ. Alij tandem asstruebant processiones in diuinis fieri immediatè à natura. Sed nos qui viuimus in Christo & nunquam nostris viribus confidimus: processiones in diuinis dari propriè, & non metaphoricè: neq; per actiones transeuntes: neq; immediatè à natura; sed duntaxat, per actiones immanentes intellectus scilicet, & voluntatis, perpetuò asseueramus.

3. Per quamcumq; enim actionem intellectus procedit aliquid ad intra verbum scilicet, aut species expressa, non quidem necessario, sed duntaxat permissiuè. Quæ permissiua ratio non solùm propter absentiam vel præsentiam obiecti: aut propter coniunctionem intimam, & distantiam ab eodem: sed etiam propter proportionem, aut improportionem assi-

gnanda eſt. Et propterea Beati, quanquam habeant obiectũ ſibi præſens, ac intimè ſuo intellectui vnitum: quia tamen deeſt proportio in infinitum inter obiectum, & potentiam: ideò nullatenus poſſunt producere verbum: plus enim vident quam valeant exprimere.

4. Datur ergo proceſſio, verbi diuini, per actionem intellectus. Non per quamcunq; actionem: ſed per illam, quæ eſt dicere intellectualiter. Qui actus dicendi, nec in nobis, nec in Deo, diſtinguitur realiter, aut ex natura rei, ab actu intelligendi ſed ſolùm diſtinguitur ratione formali. imò dicere, vt ſic, includit formaliter intelligere.

5. Et quanquam intelligere in nobis imperfectum & incompletum prius ſit aliquo modo quam dicere: dicere verò præcedat actum intelligendi perfectum, & completum: in Deo tamen intelligere completum, cum ſit perfectiſſimum, prius eſt quam dicere.

6. Huiuſmodi proceſſio verbi in diuinis, habet rationẽ generationis propriè dictæ. Verbum quoq; dicitur propriè filius, & genitus. Et ratio D. Th. huius eſt ſufficientiſſima: quia ſcilicèt intelligere diuinum eſt eſſe diuinum.

7. Præter proceſſionem verbi in diuinis eſt alia proceſſio, per actum voluntatis, quæ eſt proceſſio amoris. Quæ proceſſio habet diſtinctionem ordinis à proceſſione verbi diuini, ſtante identitate intellectus & voluntatis in Deo.

8. Et non ſolùm per actum voluntatis diuinæ; ſed etiam per actum voluntatis creatæ, producitur aliquid reale, quod eſt terminus intrinſecus actus voluntatis: & appellatur com-

muniter his nominibus, inclinatio, impulſus, amor. Qui terminus non eſt obiectum voluntatis intrinſecum, nec ſimilitudo rei amatæ, ſed ſolùm modo habet rationem terminatiuā.

9\. Proceſſio diuini amoris, non poteſt dici generatio; neq; quod procedit vt amor, procedit vt genitus. Cuius differentiæ ratio, optimè deſumitur, ex differentia inter intellectū, & voluntatem. Ille enim fit in actu, per hoc, quod res intellecta, eſt in intellectu, ſecundùm ſuam ſimilitudinem: quod ſpectat ad rationem generationis. voluntas autem, fit in actu, non per hoc quòd aliqua ſimilitudo voliti, ſit in voluntate: ſed quia voluntas, habet quandam inclinationem in rē volitā.

10\. Hæ duæ proceſſiones diuinæ non ſolo numero differunt: ſed etiam quaſi ſecundum ſpeciem. Nec tamen diſtinguuntur ſeipſis primò: ſed ordo originis, eſt ratio, per quam diſtinguuntur. Poſſunt etiam diſtingui per reſpectum ad ſuos terminos.

11\. Non eſt dabilis alia proceſſio ad intra in diuinis, præter proceſſionem verbi, & amoris. Neq; etiam eſt proceſſio verbi ex verbo; & amoris ex amore: ſed ſolùm vnum eſt verbum perfectum, & vnus amor perfectus.

DE RELATIONIBVS DIVINIS.

12\. RElationes quæ ſecundum diuinas proceſſiones accipiuntur ſunt in Deo realiter: & ſunt numero quatuor. Quæ tamen dicuntur de diuinis non per modum inhærentis: ſed per modum ad aliud ſe habentis. Nec etiam ſunt aſſiſtentes eſſentiæ diuinæ, aut extrinſecus affixæ: ſed ſunt idem realiter cum eſſentia diuina, ſola ratione diſtinctæ. Imò vnum eſt

de

de conceptu alterius: essentia enim est de conceptu relationum, & relationes de conceptu essentiæ.

13. Stante idētitate reali relationū cū diuina essentia; stat etiā distinctio realis earum inter se. Nec aliquid valet in contrarium, illud axioma: Quæcunq; sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Hoc enim tantum in illis valet quæ sunt eadem inter se & secundùm rem, & secundum rationem.

14. Relatio secundum rationem communem accidentis seu vt dicit esse In, siue in creaturis, siuè in Deo dicit perfectionem. In creaturis quidem est finita, & accidentalis: in Deo autem est infinita, & substantialis. At verò relatio realis siue creata siue increata formaliter sumpta, prout dicit præcisè esse Ad, reale, siue respectum realem ad terminum; nec perfectionem nec imperfectionem dicit: sed abstrahit à perfectione, & imperfectione.

DE PERSONIS DIVINIS.

15. CONuenientissima est definitio personæ tradita à Boëtio, cum inquit: Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Vbi substantia, non accipitur, prout significat vsiam, aut essentiam: neq; pro substantia prima, quæ est hypostasis præcisè, neq; pro substantia secunda: sed accipitur communiter non restringendo ad primam vel secundam: prout scilicet diuiditur in primam vel secundam: & per hoc quòd additur indiuidua, trahitur ad standum pro substantia prima.

16. Definitum huius definitionis, si sumatur Logicè est secunda intentio, prout fundatur in prima, eamq; denomi-

nat: ſi verò ſumatur Metaphiſicè deffinitum formale eſt prima intentio, ſiue res, cum modo, taliter eſſendi ſcilicet in indiuiduo.

17. Perſona in rebus compoſitis & materialibus ſubſtantiis non eſt idem realiter quod eſſentia: addit enim perſona ſupra eſſentiam principia indiuiduantia.

18. Nomen perſonæ, quia ſignificat, quod eſt perfectiſſimum in tota natura: ſcilicet ſubſiſtens in natura rationali, ſeu intellectuali, ac proinde, attribuenda eſt Deo.

19. Quemadmodum nomen hypoſtaſis, ita nomen perſonæ non competunt Deo quantum ad id à quo impoſitũ eſt nomen, ſed ſolùm quantùm ad id ad quod ſignificandum nomen impoſitum eſt maximè competunt Deo.

20. Perſona in communi, non ſignificat relationem ſed ſubſtantiam: At diuina perſona ſignificat relationem vt ſubſiſtentem. Etſi ſumatur explicitè, ita vt in eius conceptu intelligatur ſuum correlatiuum tunc ſignificat relationem formaliter. Si verò ſumatur implicitè, vt ſi v. g. quidditas ſignificata per nomen, explicetur, neceſſariò deberet, per conceptum relationis explicari; tunc perſona ſignificat relationem ſolùm materialiter.

DE PLVRALITATE PERSONARVM.

21. QVemadmodum ſunt plures relationes in diuinis, ita etiam ponendæ ſunt plures perſonæ. Sunt autem numero tres. Vnde non inconuenit nomen perſonæ in diuinis prædicari in numero plurali.

22. Termini iſti numerales, in diuinis, non ſumuntur à

numero, qui est de specie quantitatis, sed à numero transcendentali. Et propterea significant illa de quibus dicuntur solùm secundùm negationem. Vnde dffierentia est inter numerum, qui est species quantitatis, & numerum transcendentem. Numerus enim primi ordinis ponit quoddam accidens, additum supra ens, & similiter vnum, quod est principium numeri. numerus autem transcendens nihil addit supra ens, nisi solam negationem diuisionis. Nihilominus illa indiuisio est modus intrinsecus, & necessarius vnitatis. Et propterea vnum non dicit de formali entitatem, sed vnitatē, quæ nihil aliud est, quàm entitas determinata per modum intrinsecum: & ratione modi illius intrinseci vnum significat aliquid distinctum ab ente.

23. Cum ergo dentur plures personæ in diuinis, necessarium est dicere, quod nomen personæ, sit commune tribus personis, non secundùm communitatem rei, sed secundum communitatem rationis: non sicut genus, aut species suis inferioribus: sed sicut indiuiduum vagum.

24. Ex quo sunt tres Diuinæ personæ ideò Trinitatis nomine in diuinis vtendum est. Quod nomen secundùm proprietatem vocabuli, significat numerum determinatnm personarum, vnius essentiæ. Triplicatis tamen nomine in hoc mysterio (cum sit species proportionis inæqualis) nequaquam vti possumus.

DE DIVINARVM PERSONARVM COGNITIONE.

25. CVm cognitio Trinitatis sit adeò difficilis, vt nemini vtenti ratione naturali sit aperta, cum tamen non sit contra-

traria rationi: propterea ad hoc aſſignantur notiones perſonales, quæ ſunt propriæ rationes cognoſcendi, & diſtinguendi diuinas perſonas.

26. Huiuſmodi notiones ſunt quinq; innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio. Ex his quinq; notionibus quatuor ſunt relationes. innaſcibilitas enim, non eſt relatio, niſi per quandam reductionem; quatenus videlicet, importat negationem relationis, quæ conſurgit ex proceſſione vnius perſonæ ab alia. Ex eiſdem notionibus ſunt tres proprietates, conſtitutiuæ perſonarum : paternitas, filiatio, & proceſſio. ſpiratio enim actiua non eſt conſtitutiua vllius diuinæ perſonæ.

27. Innaſcibilitas non eſt notio Spiritus S. quamuis non naſcatur: ſed ſolius patris: quia ſola perſona patris ſe habet in Trinitate tanquam principium de non principio, quod eſt eſſe primum principium ad intra & non eſſe ab alio. Spiritui autē Sancto cōuenit vt de principio: vbi talis negatio naſcibilitatis non negat eſſe ab alio ſimpliciter: ſed ſecundùm quid tantū.

28. Inſpirabilitas, nullius perſonæ eſt notio: quia notio debet eſſe propria perſonæ & non communis: inſpirabilitas autem communis eſt patri & filio: quemadmodum enim pater non ſpiratur, ita filius.

29. Spiratio actiua, & Paternitas, quanquam ſint duæ relationes reales: non tamen diſtinguuntur realiter inter ſe, ſed ſola ratione tantum. Hoc idem intelligendum eſt de filiatione, & eadem ſpiratione.

30. PErſonæ patris competit eſſe principium; non tamen eidem competit eſſe cauſam. Nomen enim cauſæ importat diuerſitatem ſubſtantiæ & dependentiam alicuius ab altero: quæ, non importat nomen principij: ſed ſolùm importat ordinem quendam. Neq; etiam, talis principij ratio, ſonat prioritatem, reſpectu alterius ſed originem.

31. Hoc nomen pater eſt nomen proprium perſonæ patris. quod quidem, per prius dicitur perſonaliter, reſpectu filij, quam eſſentialiter, ſcilicet reſpectu creaturarum.

32. Proprium quoq; Patri, eſt eſſe ingenitum: vbi oportet, in nomine ingeniti intelligere quandam priuationem alicuius, quod poteſt inueniri, in perſona, quæ ſit principium alterius.

DE PERSONA FILII DEI.

33. NOmen verbi, in diuinis, ſi propriè ſumatur, eſt nomen perſonale, & nullo modo eſſentiale. Et conuenit propriè, ſoli filio Dei.

34. In nomine verbi diuini, importatur reſpectus, ad creaturas. verbum enim diuinum, cum ſit perfectiſſimum, & infinitum: neceſſariò debet procedere, ex cognitione perfectiſſima & infinita. qualis cognitio, eſt comprehenſiua diuinitatis. Qua, non ſolùm cognoſcuntur quæ ſunt in Deo formaliter; ſed etiam eminenter. Ac proinde producitur ex cognitione omnis intelligibibilis: ita vt fateamur, verbum procedere, à cognitione verbi, à cognitione Spiritus Sancti, & à cognitione creaturarum.

35. Non concedimus tamen, verbum procedere a verbo, neq; à Spiritu Sancto, vel a creaturis: neq; creaturas, aut Spiritum Sanctum, præcedere verbum: sed vnico actu, quo se Deus pater, & omnia intelligit producit verbum, in quo omnia contemplatur.

36. Cum his tamen stat: quod verbum primario, & principaliter, repræsentat diuinam essentiam; secundariò autem, & minus principaliter, repræsentat creaturas. Non quòd priùs, repræsentet essenttam, & creaturas posterius: sed insinuare volumus, distinctionem huius, quod est videri in se, & in aliis.

37. Consequenter quoq; (quia filius Dei procedit vt verbum; de cuius ratione, est similitudo speciei, ad id, à quo procedit) nomen imaginis esse proprium soli Filio asserimus.

DE PERSONA SPIRITVS SANCTI.

38. SPiritus Sanctus, est nomen proprium, personæ, quæ procedit, per modum amoris: hoc tamen nomen accomodatum est à Sacra scriptura: tum propter necessitatem, tum propter conuenientiam.

39. Spiritus Sanctus necessario, procedit à Filio: ita vt nisi procederet, nequaquam distingueretur ab ipso. Nihilominus, quamuis filius habeat à Patre, quod Spiritus Sanctus procedat ab ipso: non tamen propter hoc dicendum est, quod Spiritus Sanctus, procedit à filio per patrem.

40. Pater propiè loquendo, & filius, sunt vnum principium, Spiritus Sancti, & non plura. Nihilominus, sunt vnus

 spira-

ſpirator, & duo ſpirantes: niſi velit quis, nomine ſpirationis vti ſubſtantiuo, pro adiectiuo.

41. Hæc propoſitio pater & filius, ſunt idem principium, Spiritus Sancti; vno modo, eſt concedenda, ſcilicet, ratione Deitatis; quia pater & filius, ſunt idem Deus: alio modo, non eſt concedenda; ſcilicet, ratione articulationis: quia pater & filius, non ſunt idem ſuppoſitum.

42. Nomen quoq; amoris, eſt nomen proprium Spiritus ſancti. Non amor, qui accipitur eſſentialitrr ſcilicet pro actu amandi: ſed amor, notionaliter ſumptus, pro eo, quod procedit, per modum amoris. Non quòd ponamus, duos amores, in De, diſtinctos realiter, ſed tantum diſtinctos, ſecundum rationem; quemadmodum etiam diſtinguuntur eſſentia diuina, & Spiritus Sanctus.

43. Pater & Filius diligunt ſe Spirituſancto: dilectione non eſſentiali (huiuſmodi enim dilectione diligunt ſe ſua eſſentia) ſed dilectione notionali. & non ſolùm ſe ipſos ſed etiam hoc eodem genere dilectionis, diligunt eſſentiam, & creaturas.

44. Donum in diuinis eſt nomen perſonale: quòd etiam eſt nomen proprium, Spiritus Sancti: ſumendo donum, non pro re, quæ gratioſè donatur (hoc enim modo omnes tres perſonæ diuinæ, & eſſentia) ſed donum, ſumptum pro eo, quod gratioſè confertur & eſt ſimul prima ratio donandi & primum donum.

DE PERSONIS DIVINIS AD ESSENTIAM COMPARATIS.

45. IN Deo, eſſentia, non eſt aliud ſecundùm rem, à perſona diui-

diuina,ſed ſecundum rationem. Vbi dicimus, vnam eſſentiã diuinam, eſſe in tribus perſonis, & tres perſonas, eſſe vnius eſſentiæ. non tamen dicimus tres perſonas diuinas, eſſe ex eadem eſſentia.

46. Illa nomina, quæ diuinam eſſentiam, ſubſtantiuè ſignificant, prædicantur ſingulariter de perſonis diuinis & non pluraliter. Itaq;, verum eſt dicere, pater & filius & ſpiritus ſanctus eſt vnus Deus: eſt tamen falſum dicere quod ſunt tres Dij. Quæ verò, adiectiuè eſſentiam ſignificãt, prædicantur de tribus perſonis, in plurali. Nomina enim ſubſtantiua, ſignificant aliquid, per modum ſubſtantiæ: nomina vero adiectiua, ſignificant aliquid, per modum accidentis.

47. Hoc nomen Deus, ex modo ſignificandi, obtinuit, quòd poſſit propriè ſupponere pro perſona; ex re ſignificata vero ſupponit ſolùm pro eſſentia diuina.

48. Nomina perſonalia ſubſtantiuè tenta prædicantur de eſſentia diuina; vt in hac propoſitione: eſſentia diuina, eſt, pater at vero eadem nomina, adiectiuè tenta non prædicantur de eſſentia diuina.

DE PERSONIS DIVINIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES SIVE PROPRIETATES RELATIVAS.

49. Oportet dicere, proprietates relatiuas, eſſe in perſonis diuinis. Perſonæ enim diuinæ, neq; conſtituuntur, neq; diſtinguuntur, proprietatibus abſolutis, neq; etiam ſeipſis; ſed proprietatibus relatiuis, licet etiam diſtinguantur ſecundario originibus, quatenus vna generat & altera generatur.

50. Re-

50. Relatio ſecundùm quod dicit In conſtituit perſonam, ſecundum quod perſona eſt ſubſiſtens in ſe. Eeadem Relatio, ſecundùm quòd, dicit ad, conſtituit eandem perſonam, prout perſona eſt incommunicabilis. Relatio verò, ſecundùm quòd dicit eſſe In; non diſtinguit vnã perſonam diuinam ab alia diſtinguit autem, ſecundùm quòd dicit eſſe ad

Et in his omnibus Deus vnus in eſſentia, & trinus in perſonis, ſit glorioſus & laudabilis in ſæcula.

perso-
eadem
perso-
rò, se-
am di-
esse ad
us